

carnis deſyderijs arguit, & ab eiſdem, ad iuſtitiaꝝ legem, & obſequium retrahit.

De hac illaꝝ loquuntur apoſtolicæ ſententiæ. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritus, & ſpiritus aduerſus carnem. Inde, & leges illę, de quibus Apoſtolus, in nobis, inter ſe pugnantēs, & contrarię. Video, inquit, aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Legem mentis, diuinam legem, digito Dei mentibus noſtris inſcriptam. Legem uero peccati, quæ eſt in membris noſtris, illi repugnãtem concupiſcentiã carnis intelligit, quæ imperat legi Dei contrariã, & captiuum ſub iugo peccati hominem, qui iam dudum ultro ſe mancipauit carnis deſyderijs, uiquadam tyrannica impellit, & ſibi ſeruire cogit, quouſq; ad Deum ſe miſer conuertens, eius gratia, & ſpiritu adiuuetur roboreturq; eius ſpiritus, & ab illis peccati uinculis, ab illa carnis, cui ſe addixit, ſeruitute executiat animam, & ſibi aſſerat, a carne retrahat, ad eius monita, ac deſyderia ſurdam faciat.

Hæc caro, in ſe, mala non eſt, ut Valentinus cum ſuis blaſphemabat, a quibus non admodum diſſentire mihi uidentur noſtri aduerſarij, qui, & hanc, et uniuerſam hominis naturam, etiam ſecundum animam (in quo Valentinianoꝝ impietatem uincunt, & Manichei eidem blaſphemiam copulant) nihil eſſe quam prauitatis quandam naturam, et peccati ſemen quoddam affirmant, naturaliter Deo odioſam, inimicam, & contrariam. Immo, eſt hæc caro, qualem cumq; ex matris utero naſcendo producimus, ipſius Dei, & naturæ bonę opificium. In qua nihil eſt, quod non, admirabili diuinæ ſapientiæ, atq; omnipotentiaꝝ, ſtupendoq; artificio, ita conſtructum, ordinatumq; eſt: nihil, quod nõ, conditoris ſui ſapientiam, potentiam, et beneficentiam, clariffimis uocibus prædicet, & loquatur. Quemadmodum,

G iij noſtro

Vnde in nobis pugna carnis, aduerſus ſpiritum.

Carnis noſtræ naturam, de ſe malã nõ eſſe.

Valentiniani Manichei.